



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.  
Emanuelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è  
Societate Jesu**

**Giuglaris, Luigi**

**Francofvrti, 1684**

52 Salatiel Iechoniæ Filius. Isagoge.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38349**

*SALATHIEL*  
*JECHONIAE FILIUS.*  
*ISAGOGE.*

Pando tibi quintum Aetium, Viator subi,  
 De Christi Proavis,  
 Nullum subinde Reum visurus, quia nullum Regem:  
 Nullum occisum, quia nullum homicidam.  
 Mundi senectus ad infantiam redit.  
 De impiorum ossibus nati sunt Sancti:  
 Cadmæi prodigii teste Ezechiele.  
 Usus fuit Solymorum incendium:  
 Nam despumante superbiâ,  
 Ex illâ ustrinâ liquitur aureum Sæculum.  
 Pro lumine Salathielem offendes.  
 Quam latentem scintillam patrius fovebat cinis;  
 Ut novo Sæculo auspiciam faceret.  
 Fortis, magnanimus, in servitute sibi imperavit.  
 Hoc ipso felix,  
 Nam adversa Adversis adversa non sunt, sed Aversis.  
 Vis scire quid pro Populo fecerit? flevit.  
 Quid enim posset aliud Princeps mancipium?  
 Sed ejus lacrymæ Chaldæorum miserunt imperium.  
 Tria quæ cernis prostrata monstra,  
 Tres sunt Tyanni, quos flendo confecit.  
 Cernuus hic, & Semifer.  
 Nabucodonosor fuit: quondam Magnus, nunc brevis.  
 Qui Judææ & Ægypti ruinis amplificatâ Babylone,  
 Sua gesta miratus, hominem se negavit; nec fuit.  
 Nam verâ lycanthropiâ Feris permistus,  
 Ulysseæ fabulæ famam arrogavit.  
 Quæ enim Circe, nisi superbia?  
 Sic ferus Homo, vel humana Fera, septennium transigens,  
 Formam cum mente recepit.  
 Et qui bellua fuit cum se Deum credidit,  
 Jam belluam se credens, homo fuit.  
 Qui adjacet Evilmerodachus est.  
 Initio Imperii major visus.

Ut matutini Solis augetur species,  
 Illudente oculis Nebula.  
**Hic** Salatiem vinculis eductum Regiæ præfecit,  
 Fastuosa nimirum pietate;  
 Quod famulinum fastidiret, nisi Regale.  
 Sed blanda utcumque initia atrocibus actis corrumpit,  
 Malefidus, maledicus, maledictus.  
**Ut à Nabucodonosore** fatum credas, jam verso in Feram,  
 Hunc igitur Leviti telo confossum,  
 Tertius sequitur Balthassar.  
 Partibus similis, quia degener,  
 Quem Daniel odoratus, Leenam vocavit:  
 Nec masculum quippe, nec mitem:  
**Inter** foeminas virum, foeminam inter viros.  
 Hic impietati ludibria miscens,  
**Sacris** Templi calicibus, Belo Dæmoni propinavit:  
 Talem apud convivam brevi cœnatus.  
 Nimirum ebrius erat antequam biberet.  
**Heu** quam de proximo jungatur merum & mœror!  
 Aperta manus, operto vultu, ferale decretum scripsit?  
**Adeo** malis Principibus nemo propalam vera denunciat,  
 Tribus notis exaratur:  
 Ut trium litetarum non dubites virum.  
 O benevolens Providentia!  
**Media** ex Perside vocati vindices, Darius & Cytus,  
 Gynde amneligonibus mulctato,  
 Et infractis comibus humiliore;  
 Ebriam Babylonem incendunt,  
 Unius noctis fato perit antiquissima urbem;  
 Hierosolymæ semper æmula, tandem similis:  
 Quam Sol cædeus nimiam vidit, oriens nullam?  
 Quæis unde irruerit victor Cyrus?  
 Per Euphratis alveum:  
 Hebræorum fortasse lacrymis auctum.  
**Verè** ut dicas, Hebræos Chaldæorum flammis,  
 Chaldæos Hebræorum aquis arsisse.  
 Ita septuagenaria captivitate soluta,  
 Ut lætus ad Proavos iret nuncius,  
 Mori festinavit Salatiel.  
 Plaudite Viator, ac perge.

ZORO.